



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Concilia Galliae Narbonensis

Baluze, Etienne

Parisiis, 1668

XXXIV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14646

personis, sed in alienis expensis, ac illis qui in expensis suis mittent idoneos bellatores contra rebelles huiusmodi, illa suorum venia delictorum, de quibus veraciter corde contriti & ore confessi fuerint, quæ terræ sanctæ succurrentibus in generali Concilio est concessa. Ceterum commutandi omnia vota, & si urgenti necessitati negotij videris expedire, etiam Ierosolymitanum, in huiusmodi subsidium, liberam tibi concedimus auctoritate præsentium facultatem. Datum apud Urbem-veterem v. Kal. Decembris, pontificatus nostri anno tertio.

X X X I V.

VRbanus Episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri Guidoni Episcopo Sabinensi, apostolicæ sedis Legato, salutem & apostolicam benedictionem. Pro sedanda discordia quam pacis amulus & zizanix persecutor inter carissimum in Christo filium nostrum Regem & carissimam in Christo filiam nostram Reginam Angliæ illustres ac natos ipsorum ex parte una, & nonnullos Barones, Nobiles, ac alios regni Angliæ, ex altera, seminavit, & pro quibusdam aliis arduis & urgentibus negotiis commisso tibi tam in eodem regno quam in Valliæ ac Hiberniæ partibus plenæ legationis officio, de fratrum nostrorum consilio te duximus destinandum, quamplurima tibi nihilominus per speciales literas concedendo. Volentes igitur ut præmissi officij executio tibi sit libera, & submotis difficultatibus ac impedimentis quibuslibet expedita, tenore præsentium declaramus quod nostræ intentionis & voluntatis existit quod per prædicta quæ tibi specialiter sunt concessa, iis quæ tibi ratione legationis competunt, in nullo penitus derogetur; sed volumus quod hoc non obstante, illa plenarie ac liberè nihilominus exequaris. Datum apud

Urbem-veterem Idibus Decembris, pontificatus nostri anno tertio.

X X X V.

VRbanus Episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri Guidoni Episcopo Sabinensi, apostolicæ sedis Legato, salutem & apostolicam benedictionem. Cùm te ad partes Angliæ, tibi commissõ inibi ac in Vvalla & Hibernia plenæ legationis officio, pro quibusdam arduis & urgentibus negotiis destinemus; nos volentes ut spiritualium largitione munerum incolas illarum & aliarum partium, ad quas te devenire contigerit, reddas Deo & sedi apostolicæ plus devotos, fraternitati tuæ præsentium auctoritate concedimus ut in magnis colloquiis & congregationibus quæ occasione prædictorum negotiorum pro quibus te ad partes illas mittimus, tam infra legationis tuæ fines quàm extra, fieri contigerit, & in festis solemnibus, in Missarum solemnibus, ac in translationibus sanctorum, omnibus verè pœnitentibus & confessis, qui ad colloquia, congregationes, solemnia, translationes hujusmodi accesserint, unum annum & quadraginta dies de injunctis sibi pœnitentiis misericorditer valeas relaxare. Datum apud Urbem-veterem Idibus Decembris, pontificatus nostri anno tertio.

Vide epistolam ejusdem Urbani ad Archiepiscopos, Episcopos, & ceteros Ecclesiarum Prelatos per regnum Angliæ constitutos, quæ ab Odorico Raynaldo edita est ad ann. 1263. §. 85.